NOTES.

Note A.

Ranunculi, quod aliqui apium agreste nominant, plura quidem sunt genera: at vis tamen omnibus una, acris scilicet ac vehementer exulcerans. Ac unum quidem coriandri foliis constat, sed latioribus, subalbidis et pinguibus: flore luteo, interdùm purpureo. Caulis minimé crassus est, sed cubitum altus. Radice nititur exigua, candida et amara, adnatis ceu capillamentis, hellebori modo, fibrata: juxta fluenta nascitur. Alterum est lanuginosius, longioréque caule, pluribus foliorum incisuris, plurimum in Saridinia proveniens, acerrimum, quod etiam sylvestre apium appellant. Est et tertium valde parvum et odore gravi; flore aureo. Quartum simile huic, flore lacteo. Folia et caules tenelli vim habent illitu exulcerandi, et usque adeò urendi, ut etiam crustas cum dolore inducant. Quare scabros ungues auferunt, psoras removent, stigmata delent: itemque formicationes ac pensiles verrucas et alopecias ad breve tempus imposita tollunt. Quin et repente eorum decocto perniones foventur. Radix verò sicca tritáque, sternutamenta ciet, naribus admota: dentium quoque dolores appensa levat, ipsos tamen rumpit.

Dioscorides. Interp. Sarraceni, Lib. ii. Cap. 206.

Note B.

Sponte jam patet, internum Euphorbii usum periculo plenum esse. Sed confirmant id infortunia, specialibus casibus subnata. Obiit quidam, cui empiricus illud imprudenter exhibuerat, dysenteria eodem die. Virgo venusta seni decrepito, se invita, desponsata ad mortem sibi conciliandam pulverem Euphorbii ingessit, unde dolores ventris atrocissimi, hypercatharses cum vomitionibus frequentissi-